

## ART. IV. Refutantur argumenta contra animae immortalitatem

223. Obiic. 1° Forma non habet esse, nisi in eo, in quo est. Atqui anima humana est forma corporis. Ergo non potest esse, nisi in corpore, ac proinde perit, peremptio corpore.

224. Resp. *Dist. mai.*, si sit forma, quae dependet ab eo, in quo est, *conc. mai.*, secus, *neg. mai.*; sub eadem *dist. neg.*, et *conc. min.*. *Neg. cons.* Anima, ut saepe diximus, est talis forma, quae habet esse non dependens ab eo, cuius est forma; ac proinde, corrupto corpore, in suo esse perseverat. Exinde etiam patet, quod etsi anima, et corpus in uno esse hominis convenient, tamen, corrupto corpore, adhuc remanet anima, quia, ut etiam alibi diximus<sup>4</sup>, illud unum esse « est ab anima, ita quod anima humana esse suum, in quo subsistit, corpori communicat<sup>2</sup> ».

225. Obiic. 2° Naturalis est animae unio cum corpore. Atqui haec naturalis coniunctio expostulat, ut anima non nisi cum corpore existere possit. Ergo anima separata a corpore in existentia perdurare nequit.

226. Resp. *Dist. min.*, si nihil obstaret ex parte corporis, *conc. min.*, secus, *neg. min.* *Neg. cons.* Sane, cum naturale sit animae esse corpori unitam, ipsa ex sui natura exigit esse cum corpore. At, quoniam corpus est corruptibile, ipsum « recedit a dispositione, per quam est aptum ad recipientum vitam<sup>3</sup> »; atque ita fit, ut anima a corpore separetur<sup>4</sup>. Quocirca propter corruptionem corporis evenit, ut ipsa perseveret esse sine corpore. Illud autem monendum est, statum, in quo anima sine

---

berent. Quapropter necesse fuit, ut Deus praemia, et poenas numquam desituras humanis animabus statueret, easque proinde immortales efficeret. Cf Nicolas, *Études philos. sur le Christianisme*, t. II, c. 8.

<sup>1</sup> Cf p. 184, not. 5. — <sup>2</sup> *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 14 ad 11.

<sup>3</sup> *Qq. dispp.*, loc. cit. ad 20.

<sup>4</sup> Hinc mors, per quam anima a corpore separatur, est, docente eodem Aquinate, naturalis homini ratione corporis, non vero animae: « Forma hominis est anima rationalis, quae est de se immortalis: et ideo mors non est naturalis homini ex parte suae formae. Materia autem hominis est corpus tale, quod est ex contrario compositum, ad quod sequitur ex necessitate corruptibilitas, et quantum ad hoc mors est homini naturalis»; 2<sup>a</sup> 2<sup>me</sup>, q. CLXIV, a. 1 ad 1.

corpore existit, esse quidem praeter naturam ipsius<sup>1</sup>, quia anima, ut saepe diximus, ex se exigit esse cum corpore, sed non huiusmodi, ut animae naturae aduersetur; nam anima, etiamsi separata sit a corpore, tamen naturalem inclinationem ad ipsum retinet<sup>2</sup>.

227. Obiic. 3° Id, quod est ex nihilo, in nihilum redigi potest. Atqui anima humana ex nihilo est. Ergo.

228. Resp. *Dist. mai.*, ita ut natura sua in nihilum tendat, *neg. mai.*, ita ut nisi a Deo conservetur, in nihilum redigatur, *conc. mai.* *Neg. cons.* Re quidem vera « tendere in nihilum non est proprius motus naturae, qui semper est in bonum<sup>3</sup> ». Quoniam vero creatura a seipsa non existit, neque ideo ex vi sue naturae in existentia perseverat, in nihilum redigi non potest, nisi quatenus desistit virtus, quae illam in esse conservat<sup>4</sup>. Haec autem virtus solius Dei propria est. Iam vero satis a nobis demonstratum est animi annihilationem cum Dei attributis contradicere.

## ART. V. Refutatur metempsychosis

229. *Metempsychosis*, sive *transanimatio*, vel *transcorporatio* vulgo dicta est illa theoria, qua animarum ab uno in aliud corpus transmigratio adstruitur<sup>5</sup>. Iam, teste D. Thoma, « omnes, qui posuerunt animas extra corpora creari, posuerunt transcor-

<sup>1</sup> « Esse separatam a corpore est praeter rationem sue naturae »; I, q. LXXXIX, a. 1 c. Cf p. 226, not. 8.

<sup>2</sup> Dicendum, quod secundum se convenit animae corpori uniri; sicut secundum se convenit corpori levi esse sursum. Et sicut corpus leve manet quidem leve, cum a loco proprio fuerit separatum, cum aptitudine tamen, et inclinatione ad proprium locum; ita anima humana manet in suo esse, cum fuerit a corpore separata, habens aptitudinem, et inclinationem naturalem ad corporis unionem »; I, q. LXXVI, art. 1 ad 6. Cf p. 188.

<sup>3</sup> *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. V, art. 1 ad 16.

<sup>4</sup> Dicendum, quod, sicut posse creari dicitur aliquid non per potentiam passivam, sed solum per potentiam activam creantis, qui ex nihilo potest aliquid producere; ita, cum dicitur aliquid vertibile in nihil, non importatur in creatura potentia ad non esse, sed in Creatore potentia ad hoc, quod esse non influat »; I, q. LXXV, a. 6 ad 2.

<sup>5</sup> *Palingenesia*, idest *regeneratio* appellari quoque solet, quia in priori corpore vivere desinit anima, et in alio, quod de novo sumit, vitam auspiciatur.

porationem animarum, ut sic anima exuta a corpore uno, alteri corpori uniretur, sicut homo exutus uno vestimento induit alterum<sup>4</sup>. Sane Plato, qui, ut iam diximus<sup>2</sup>, censuit animos ex astris in humana corpora immissos fuisse, docuit etiam illos, qui recte vitam egerint, ad astra reversos vitam beatam potitos esse; contra, eos, qui immoderata vixerint, in corpora deteriora, et, si ne tum quidem finem vitiorum fecerint, in brutorum figuris suis moribus simillimas mutatum iri, neque ante ab huiusmodi mutationibus cessaturos, quam, affectibus sedatis, ad primum, optimumque sui habitum redierint<sup>3</sup>. Hac nostra aetate a Petro Leroux, et a ceteris continua progressus assertoribus metempsychosis, ut in primo articulo diximus<sup>1</sup>, ad vitam revocata est. Eis adstipulati sunt Remy<sup>5</sup>, Michelet<sup>6</sup>, Reynaud<sup>7</sup>, et Andr. Pezzani<sup>8</sup>.

230. Prop. *Fieri nequit ut unius hominis anima de suo in aliud corpus commigret*<sup>9</sup>.

Probatur. 1° Animarum numerica differentia ex ordine ad diversa corpora, quorum sunt formae, inspicienda est<sup>10</sup>; quapropter si corpora sunt numero diversa, necesse est, ut animae sint numero diversae. Atqui, si animae sunt numero diversae, prout sunt diversa corpora, fieri nequit, ut una, eademque anima, quae aliquod corpus informat, in aliud corpus commigret. Ergo<sup>11</sup>.

<sup>1</sup> *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 10 c. — <sup>2</sup> Pag. 264-265.

<sup>3</sup> Ante Platonem a Pythagora, eiusque discipulis metempsychosis decretum in Graecia ubique propagatum fuit. Pythagoram vero hoc decretum ab Aegypti, alisque Orientis populis didicisse comperta res est. Sane metempsychosi Aegyptios, et Chaldaeos adhaesisse veteres passim tradidere, eaque in omnibus Indicae philosophiae Scholis aequa inveniebatur.

<sup>4</sup> Pag. 269-270. — <sup>5</sup> *De la vie et de la mort*, par le Dr Remy, Paris 1847.

<sup>6</sup> Ipse in libro *Le peuple et l'impudentiae* devenit, ut ob hanc animarum transmigrationem inter bruta, et homines cognitionem agnoverit, et bruta *fratres* saepe appellaverit. — <sup>7</sup> *Terre et Ciel*, Paris 1854.

<sup>8</sup> *La pluralité des existences de l'âme*, lib. IV, c. I, p. 386 sqq., Paris 1865.

<sup>9</sup> Metempsychosis, ut s. Thomas advertit, Fidei contradicit, haec enim animam in resurrectione idem corpus resumere praedicat, quod depositit<sup>12</sup>; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 44.

<sup>10</sup> Cf *Ontol.*, c. VII, art. 3, p. 47. « Ex corpore recipit esse individuum; quod quia non dependet ex corpore, remanet individuum, etiam destruto corpore »; *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 4 ad 1.

<sup>11</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 83.

<sup>2</sup> Si una anima diversa corpora generata informaret, idem numero homo per novam generationem iterum existeret, sive, secundum Platonem, homo non nisi anima corpore induita esse dicatur, sive anima tamquam substantialis forma corporis agnoscatur; sicut enim esse, ita et unitas formam rei consequitur, et ideo illa, quorum forma est numero una, sunt idem numero. Atqui fieri nequit, ut per novam generationem idem numero iterum existat homo; nam, « cum generatio, et corruptio sit motus in substantiam, in his, quae generantur, et corruptuntur, non manet substantia eadem, sicut manet in his, quae secundum locum moventur<sup>13</sup> ». Ergo absurdum est animam, quae hoc corpus informat, in aliud corpus commigrare.

<sup>3</sup> Quod si anima ex uno in aliud corpus humanum transmitti nequit, ipsius in corpus bellunum transmigratio inter humana deliramenta adnumeranda est. Etenim anima est *forma corporis et motor eius*. Atqui *determinatae formae determinata materia* debetur, et *determinato motori determinatum organum*, sicut *quaelibet ars in agente utilit propria instrumentis*<sup>2</sup>. Ergo anima humana non nisi cum corpore humano coniungi potest. Praeterea, si animae humanae ad corpora brutorum informanda transirent, seu brutorum formae fierent, operationes hominum proprias exercerent, suamque naturam amitterent. Nam hoc in primis absurdum est, cum rerum naturae sint immotae; deinde, si admitteretur, finis, ob quem anima ad huiusmodi corpora deprimi dicitur, ut nempe scelerum poenam luat, et beatitudinem assequi possit, inanis foret; nam si animae sint formae brutorum, poenarum capaces non sunt, neque mereri possunt, ut ad vitam meliorem revertantur. Quin immo ipsa metempsychosis rueret; non enim eadem anima, quae antea corpus humanum informabat, sed anima diversae naturae corpus bellunum informaret. « Si demutationem capit, ita arguebat Tertullianus, amittens quod fuit, non erit quae fuit; et si quae fuit, non erit, soluta est metempsomatosis, non adscribenda scilicet ei animae, quae si demutabilis, non erit. Illius enim metempsomatosis dicetur, quaecumque eam in suo statu permanendo pateretur<sup>3</sup> ».

<sup>1</sup> *Ibid.* — <sup>2</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 sol.

<sup>3</sup> *De Anima*, c. 32.

231. Mirum itaque non est, si nonnulli Ecclesiae Patres hanc sententiam seria refutatione indignam habuerint. « Abiiciamus haec, s. Augustinus aiebat, et vel rideamus, quia falsa sunt, vel doleamus, quia magna existimantur. Sunt ista, Fratres mei, magna magnorum deliramenta Doctorum <sup>1</sup> ».

ART. VI. *Modus, quo ab hodiernis Pantheistis immortalitas animae explicatur, refellitur*

232. Iam Plotinus putavit mentem humanam ita natura sua comparatam esse, ut paullatim ad *simplificationem* pervenire queat, scilicet ad illum statum, in quo, destructa *dualitate* subjecti, atque obiecti, se unum, idemque cum *Uno*, sive *Absoluto* agnoscat <sup>2</sup>.

233. Hæc doctrina, quam Plotinus magna ex parte a Stoicis accepit, *palingenesia*, sive *regeneratio* dicta est, eamque omnes Pantheistæ, in primisque hodierni hegeliani <sup>3</sup>, licet diversis modis, et sub diversis nominibus, illam amplexati sunt. Hinc, ipsi, ut antea diximus <sup>4</sup>, animam ex eo immortalem esse docuerunt, quod post corruptionem corporis in Divina substantia, sive, ut aiunt, *Absoluto* absorbetur. Iam, omissis vitiis pantheismi, ex quo *palingenesia* fluit, eius abnormitatem, quod ad rem praesentem attinet, sequenti Propositione demonstramus:

234. *Faulores palingenesiae destructionem animae, nedum eius immortalitatem, explicant.*

*Probatur.* Animæ proprium est *subsistere*. Atqui ea subsistere dicuntur, quæ non in alio, sed in se existunt <sup>5</sup>. Ergo animam in Absoluto absorberi, idem est ac suum esse amittere, seu mortem subire.

235. Praeterea, spiritus humanus aut est aliquid diversum ab *Absoluto*, puta aliqua particula ab Absoluto divisa, et discerpta, ut Stoicis asserere placuit; aut ipsummet Absolutum, quod sub aliquo modo se evolvit, sive sub aliqua forma se manifestat, quemadmodum plerique hodierni Pantheistæ obganiunt. Atqui

utravis opinio propugnetur, palingenesiam destructio animæ consequitur. Ergo.

236. *Minor* demonstratur hunc in modum: 1° Si prima opinio asseratur, ita argumentatur: Cum natura spiritus humani, utpote particula ab Absoluto diversa, sit finita, et Absolutum sit infinitum, dicendum est spiritum humanum non posse in Absoluto absorberi, nisi naturam suam exuat, et naturam Absoluti induat. Atqui propriam naturam exuere idem est, ac destrui. Ergo spiritus humanus per palingenesiam, prout a Stoicis accepta fuit, omnino destruitur.

2° Sin altera opinio teneatur, hoc argumentum in promptu est: Per palingenesiam spiritus humanus transmutatur, ita ut sit aliud, ac antea erat. Atqui, si spiritus humanus est ipsummet Absolutum, non aliter intelligi potest ipsum transmutari, quam si in Nihilum absolutum redigi existimetur; siquidem, cum Absolutum omne esse complectatur, ei non aliud, nisi Nihilum absolutum, quod omne esse excludit, opponi potest. Ergo, si spiritus humanus est ipsum Absolutum, necesse est, ut per palingenesiam seipsum destruat <sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Serm. CCXLI, c. 5, n. 6.

<sup>2</sup> Enn. V, lib. III, c. 3, et 4, atque alibi.

<sup>3</sup> Cf de his E. Caro, *L'idée de Dieu, et ses nouveaux critiques*, c. VI, p. 343 sqq, Paris 1864.

<sup>4</sup> Pag. 269. — <sup>5</sup> I, q. XXIX, a. 2 c.

<sup>6</sup> Quanam ratione Auctor librorum Areopagiticon intelligendus sit, cum mentem humanam ad *simplificationem* pervenire, et in caligine divinae lucis absorberi docet, explicavimus in *Elem. seu Instit. phil. christ.*, t. III, *Anthropol.*, c. VIII, art. 7, p. 328, 329, alt. edit. Neapol. 1873.